



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

2. Quomodo domicilium forum tribuat? quotuplex sit domicilium? An quasi domicilium vim aliquam conferat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

imprudentiam albi calculi loco, nigrum immitteret. *Ælian: lib. 13.* Quæritur num Sicilia Magistratus comprehensum Alcibiadem judicare potuisset? *Resolut: pete ex num. 7. & 8.*

C O N C L U S I O.

II.

Forum competens præse sumptur hic vocatur tribunal, cuius jurisdictioni reus subicitur: nam de foro prima, tritissima regula est. Actor sequi debet forum rei. *cap. si Clericus. 5. hoc tit. L. 2. C. de jurisd. om. Iud. L. ult. C. ubi in rem act.* Reus autem forum sortitur, seu jurisdictioni subicitur, præcipue quatuor modis: ratione *Domicilij. Delicti, contractus, rei in territorio sitæ.*

2. Domicilium forum tribuit: & hoc triplex est. Primum: Respublica. Alterum: Origo. Tertium: sua cuique voluntas facit. Respublica commune domicilium, atque patriam nobis Romam facit sed extraordinarie *cap. ult: de foro comp: L. §. Romæ, ff. de excus: test: ut propterea advena Romæ repertus, ibidem conveniri potest.*

fit, quacunq; ex causa seu delicto agatur, etiam alibi commisso. *L. 2. §. Legatis L. 24. & 26. ff. de jud: exceptis Legatis evocatis, judicandi aut testimonii dicendi gratia.* Item qui appellandi, tutelæ reddendæ, petendæ restitutionis in integrum causa, aut in negotiis Ecclesiæ suæ, Romam venerunt: his enim nisi periculum in mora sit; jus litem revocandi domum suam datum est, ad forum nempè domicilii, ubi melius instructi sunt; *cit. cap. ult. cit. L. 2. §. Legatis, & L. 8. 24. 25. & seq. ff. eodem.* Unde hæc revocatio dicitur exceptio fori declinatoria ratione personarum.

3. Origo in ea cuiq; civitate domicilium tribuit, in qua Pater oriundus est, vel in qua quis à Matre non transeunte tantum, aut ad breve tempus commorante, (si alibi domicilium fixum habuit) sed inhabitante natus est *L. Cives. 7. C. de incolis lib. 10. L. assumptio 6. §. 1. L. 11. §. Patris, & §. in adoptiva. ff. ad municip.* Et licet migraverit originarius, constituto alibi lare; in loco tamen originis si reperiatur, conveniri potest. *L. incola 29. ff. ad municip: L. pen: C. de incol, Gail: lib. 2. obs: 36. contra Menoch:*